153

51.



ORATIO QUÂ QUID SIT MEDICINA DOCENTUR PHILIATRI,

Habita die Dominico vigesimo-nono mensis Novembris, anno Domini M. DCC. XLIV.

IN SCHOLIS MEDICIS,

A M. FRANCISCO MERY, *Doctore Medico Parisiensi & Scholarum Professore, Medicinæ Stadium auspicaturo.*



PARISIIS,

Apud QUILLAU, Bibliopolam & Typographum Universitatis & Facultatis Medicinæ Juratum, viâ vulgò dictâ *Galande*, prope Vicum Stramineum, sub Signo Annunciationis.

M. DCC. XLIV.





ORATIO QUÂ QUID SIT MEDICINA DOCENTUR PHILIATRI.



I eorum omnium qui Artem aliquam profitentur & edocent veſtigiis inſiſtere placeret, VIGILANTISSIME DECANE, VIRI MEDICINÆ PROCERES, PHILIATRI CARISSIMI, AUDITORES OMNIUM ORDINUM SPECTATISSIMI, Encomium Medicinæ, Medicorumque laudes hæcce tota celebraret Oratio. Quibuſdam forſitàn felicior Oratoribus, fabulas fabulis non intexerem, & mihi vera dicenti, dicendorum

ſupereſſet ampliſſima ſeges. Non aliam Artem de antiquitate & præſtantiâ cum Medicinâ certare poſſe teſtarentur ſacri Codices, Annales Populorum evincerent, confirmaret experientia.

Quis enim, AUDITORES, in Sacris adeò peregrinus, ut hominem ſceleris purum, fortunatam hanc annorum ſeriem, quam nec fœdabat hyems gelida, nec torrida torquebat æſtas, ignoret numeraſſe? Brevì heu! nimium illâ ætate, labore duro res parta non erat, ſed prodigus ager, munificentiſſimi Creatoris bonitate, ſuavem ſine arte parabat menſam: aëre puro dies lucebant ſereni: innocuas leges ſola dabat aurea ſimplicitas: mens erat quieta, ſanum corpus, ſinceræ vires: non ſidere maligno dira ſæviebat morborum cohors, nec ſupremum diem, ſceleris vectigal, neſcius mali reformidabat Homo. At ex quo, omne auſus crimen, æqualem ſe Supremæ Majeſtati futurum credere non horruit, & ultione irati Numinis perſequente ſontem, fatale illud, MORIERIS, juravit Omnipotens, Terra, Pontus, Aër, quidquid in humanæ gentis commodum ſalutemque dederat ſummus Opifex, furoris Divini nunc Miniſter, maledictique obſignatum caractere, hominem undiquè ineluctabili vulnerat telo. Tellus

peſtiferum depromit gramen, inficitur aër, debacchantur febres, inſtat mors, & de homine vix formato actum erat, niſi coœvam mundo Medicinam creaſſet Altiſſimus, quæ homini profundioribus jàm obcœcato tenebris, titubanti, incerto, inſidiaſque expaveſcenti undequaquè, tutum monſtraret iter, arceret lethifera, ſalubria miniſtraret, ſedaret dolorem, morborum debellaret furores, fugientemque ſæpiùs animam revocaret.

Quis annales populorum volvendo non agnoſcat, nondum excultas Artes, non excogitatas, cùm jàmjàm ſub titulo Sapientum, viri quidam in cognitione herbarum verſati deſignabantur, & pro exaratis de Arte Medicâ tabulis, Regi ſuo Hermeti, Triſmegiſtæ nomen detulerant Ægyptii? Quis fuit Græcorum in Medicinam cultus, quæ reverentia? Quos mortis tardare gradum, febreſque peſtiferas è medio populorum depellere peritos viderant, hos homines fuiſſe non rati, inter Deos recenſebant, templis, altaribus, victimiſque honorandos. Nonnè dùm jus civitatis Regibus denegat Roma, ſtatuas Medicis erigit, cingitque tempora coronis? Quæ Regio tàm barbara, ut in Medicinâ cœleſte donum non mirata ſit, hoc cæteris præſtantius, quo carior eſt eritque ſemper vita?

Quidquid de Medicinæ præſtantiâ magnificè cenſuerit Antiquitas, AUDITORES, majora tamen memoris animi monimenta, à vobis omnibus & ſingulis repoſcit & exſpectat Ars à Gallis nunquam ſat prædicanda. Hoſce elapſos nuper recordamini triſtitiæ & horroris dies, quibus Gallia, veluti mater orbata liberis, Terram implebat gemitibus & lacrimis, votis & precibus diù noctùque fatigabat Cœlum: quibus Civis quilibet optimus (& quis non erat!) defixis in terram oculis, errabundus & curſitans, quem quærebat nuntium adveniſſe fremens, ſolem ſibi ultimùm occidiſſe reformidabat. Quibus tandèm, horreſco referens, cariſſimus Rex noſter LUDOVICUS, Victor Belgiorum, cui triumphos parabat Rhenus, ſui in populum amoris victima, truculentâque ictûs febre, jacebat immotus, exanimiſquè jàm credebatur. Quis Galliæ reddidit Patrem, Protectorem Relligioni, Pietati Chriſtianiſſimum Imperatorem, Heroem Gloriæ, felicitati publicæ Tutorem, Belli Paciſque Arbitrum Europæ, Orbi univerſo hunc Regem, qui ſivè ſumenda ſivè remittenda judicet arma, ſapientiam ſempèr advocat in concilium, hâcque miniſtrâ, Lauream nùnc, nùnc Oleam, utrique natus ſic eligit, ut mundi Rectorem clementiſſimum imitatus,

amari malit poſito fulmine, quàm fulmen jaculando formidari? Sileant Artes quælibet: munificentiſſimum hìc divinitùs afflatæ recognoſcatis Medicinæ Donum, quæ eò excellentior vobis celebranda, quò Pretioſior ſingulis vita LUDOVICI.

Sed præſtantiam Medicinæ laudent, quibus magna datum eſt dicendo proximè aſſequi; mihi ſatis eſt ſuperque verſari in quæſtione ſimpliciſſimâ quæ Philiatris, quorum inſtitutio in Medicinâ à Saluberrimâ Facultate hodiè mihi concredita eſt, prodeſſe valeat. Quæro ergò quid ſit Medicina? Quod quidèm ut liquidiùs pateat & certiùs, duo partitâ bifariàm oratione tractanda ſuſcipio: Quid ſcire debeant Philiatri, ut Medicos ſe profiteri poſſint, hoc primum: Quæ mixta Medici laboribus faſtidia, hoc ſecundum: faveant linguis.

PRIMA PARS.

QUÆ utilitati publicæ ita conſulunt artes, ut ad gloriam, & nominis immortale decus, tutum ſuis referent iter, innatâ quâdam propenſione homines invitant & alliciunt. Nemini ergò mirum videatur, AUDITORES, Juvenes quam plurimos, Medicinæ captos illecebris, huic ſeſe arti vovere

ſæpiùs, quæ ſupremum in vitam hominum partitur imperium & dividit, ſancitique à Deo cum mortalibus commercii, jure miniſtra dicitur & moderatrix. Auſus eſt ſanè laudabilis, Nobile conamen. Sed quid ab ipſis poſtulet Medicina, quid ſui ferre valeant humeri, quid recuſent, hodiè mecum perpendant Philiatri. Intelligant hodiè (dum ſeſe arti Medicæ conſecrare volunt, & tempus adeſt *Pelago committere ratem*) ſe errare graviter, petituroſque brevi littora naufragos, ſi futilibus invidorum incautè fidentes verbis, vel quorumdam, non dico, Medicorum, ſed Medici Simiorum exemplo deluſi, hunc in Medicinâ omne tuliſſe punctum arbitrentur, qui ſuum ſcholæ Medicæ inſcripſit nomen, per biennium vel circiter, lectionibus Profeſſorum aſtitit nonnunquam, quoſlibet indiſcriminatim de Medicinâ expeditiori & compendioſâ tractantes evolvit libros, formulas Memoriæ mandavit, Medicum, quod vocant, emenſus eſt ſtadium, & tunc, quaſi infuſa ſibi fuiſſet, conſeneſcentium in ſtudio Medicinæ omnis doctrina, Medicum ſe profiteri non dubitat. Ab Hippocrate Medicorumque ſapientiſſimis diſcant artem eſſe longam, vitam brevem; edoctis plurima, ediſcenda multo plura ſupereſſe; nullam eſſe Medicinæ

cinæ partem, quæ totum ſibi non repoſcat hominem; condito ab Omnipotente, in ſalutem vitamque hominis, orbe terrarum immenſo, nihil aliud eſſe Medicinam quam totius Naturæ ſtudium, huncque ſolum Medici titulo inſigniri debere, qui in omni cognitionum, ad conſervandam hominis ſanitatem vel reparandam, creatarum genere, verſatus agnoſcitur & peritus. Conciſa & ſimplex harumce cognitionum ſuo delineatorum ordine expoſitio, quid ſcire debeant Philiatri ut Medicos ſe profiteri poſſint, attendenti demonſtrabit.

Maturum admittunt hominem, poſtulantque ſæpiùs artes innumeræ: Puerum ipſummet ſibi vindicat Medicina prudentior. Prima tenellæ hujuſce ætatis inſtitutio adimplendis quondam Medici partibus infantem præparet, ſublimioribuſque ſtudiis diſponant humaniores litteræ. Fruſtrà ſe fieri poſſe Medicum confidet vir factus, ſi micante vix juventâ, ab arte ſuadendi animos flectere non doctus, eloquentiæ nobilis vim ignoret & potentiam, quæ in Medico ægrorum ſolatio & ſaluti intenta ſemper, dum loquacitatem ignorantiæ comitem aſſiduam fugat, multa paucis totidem veluti oracula pandit, ſpem addit miſeris, erigit fractos, indociles debellat, utque ve-

ritatis argumentum eſt non fallax, ſic non quæſitam abjectè in Medicum fiduciam cogit, quam fovet peritia. Juvenis à Dialecticâ veri & falſi, teſte Tullio, diſceptatrice & arbitrâ inſtructus, hanc ſolam diſſerendi ſeligat methodum, quæ ſimplicioribus, ſed veritatis inconcuſſæ innixa principiis, concludendorum nunquàm vereatur falſitatem, intortaſque ſophiſmatum captiones, ſæpius in Medicinâ ægrotantibus fatales, funditùs ſubvertere valeat. Juveni Univerſitatis rerum adumbret imaginem Phyſica, diverſos evolvat motus, ſtupendorum Cœli & Terræ Phenomenum recludat cauſas, Naturamque ità conſtanter in omnibus & ubique operantem demonſtret, ut quâ immutabilitate, quibus legibus orbis regitur immenſus, iiſdem generari corpus humanum, nutriri, creſcere, labefactari, & perire agnoſcat in Medicis verſatus. Sic tandem in linguarum cognitione erudiatur juvenis, ut Societate vocum ſermoniſque commercio, cum Græcis, Latinis, ceteriſque cujuſlibet regionis & ævi conjunctus populis, ſcientiam è ſaluberrimis ipſiſmet fontibus poſſit haurire, inſcitiæ interpretum, in graviſſimis exitiali, credere non cogatur, quaſque à remotioribus ſæculis ſuſtinet terrarum orbis Medicas opes, civibus quondam fideliter diſpenſet.

Ea ſunt cognitionum genera, AUDITORES, quæ plures laboris aſſidui poſtulant annos, & ad artem Medicam ita diſponunt & præparant, ut iis orbatos juvenes, à Medecinæ penetralibus eſſe æternum arcendos, pronuntiaverit æquus quiſque rerum æſtimator. Vobis, PHILIATRI CARISSIMI, qui potentes eloquio, purioris Dialecticæ principiis imbuti, verſati in Phyſicis, linguarum divites opibus, hùc ſanè acceditis omnes & ſinguli, peragrandum nunc aperiam Medicinæ campum.

Sola eſt Medici laborum meta, hominum tuta ſalus. Qui ergò hominem curabit aliquando Philiater, hominem noſcat primùm, & à corpore ad animum aſcendat. Erit illud profectò tempus, quo libri diurnâ nocturnâque manu verſandi venient; procul hodiè à Philiatro ſcientiæ corporis humani totum ſe tradere volenti, librorum ſuppellex, elegantesvè, ſed infidæ non raró, tabularum imagines depictæ. Sit ipſi tumulus ſchola, Magiſtra mors, cadavera libri. Quâ arte proderit vivis, à mortuis diſcat. Repudiat Medicina quos delicatiores utili ſanguine manus tingere pudet, terret putredo ſalutaris, fœtiduſque exanimat odor. Avidâ manu cultrum arripiens Anatomicum, humana ipſe interroget viſcera. Quàm cer-

tiùs his ducibus & Magiſtris, naturalem corporis edoctus ſtatum, innatas & conſtantes partium ſedes & ſitus, fibrillæ compagem minutiſſimæ, naturam fluidi & indolem, ſolidi ſtructuram, figuras diſpares, directionem, communicationes & uſus; hanc diſtinctam corporis aſſequetur notionem, quæ apud ægros, in gravioribus morbis, fomitem mali, laceſſitatem partem, proximamque ſymptomatum cauſam deteget & revelabit.

Sed inops eſt, ſterilis, & manca, obvia duntaxàt ſenſibus, corporis notitia. A diuturnâ & ſolerti cadaverum inſpectione, ſublimiora ſapiat non minus animi, quam corporis ſcrutator Philiater: Intelligat corpus, à ſe ipſo cuilibet impar & inhabile motui, ad nutum animi moderantis moveri vivum; Animum, immortalem hanc divinitatis eſſentiæ particulam, mirabili vinculo reciproci cogitationis & motus commercii, volente ſupremo Numine, unitum cùm corpore ſic conjungi, ut moto corpore, cogitet animus, animo cogitante, moveatur corpus. Haſce animi cogitationes, quas motus internos, affectus vocare placuit, meditetur attentiùs. Quid poſſint in corpus ab increatæ ſapientiæ legibus aberrantes, attendat ſedulò. Quam labem inurant cor-

pori, effrænis amor & exlex, furens ira, invidia depaſcens, gelidus timor, triſtitia languens, anhelans ſpes & irrequieta, teſtem ſæculorum appellet experientiam, Medicinæ ſcitetur oracula : Quæ morborum Ilias, hoc laborioſiùs expugnanda, quod profundioribus obvoluta tenebris lateat ſæpiùs peſtis fons & origo, homineſque ægrotare corpus fateantur ingenuè, ſe ſanos animo reputent omnes?

Obſcurioribus penetratis ſemel animi receſſibus & latebris, ad corpus, facem præferente Phyſicâ, ſiſtematibuſque probatis ratione, experientiâ confirmatis ſuffultus revertatur Philiater. In toto corpore, ſinguliſque partibus, prima hæc rerum omnium rudimenta rimetur & quærat, quorum quies vel motus, diſcrepans figura, confuſioque plùs minùs æquabilis, fluida & ſolida, odores & ſapores, uno dicam verbo, quidquid in corpore ſubjicitur ſenſibus, producunt & formant, tot variè multiplicata temperamentorum diſcrimina conſtituunt, quot homines excogitaverit, & everſo primariæ proportionis ordine, ſub diverſâ mille morborum fronte corpus deterunt, mortemque accelerant ineluctabilem. Aſpiciens tubulos, liquores explorans, ſuppeditatis in primâ juventute, à Geometriâ, Hydraulicâ, Mechanicâque

cognitionibus utatur tempeſtivè. Sit ipſi Aër qui cuncta ſubit & penetrat, cujuſque vires novit & potentiam, vaſorum elateris effector, progreſſivi liquorum motus principium, reciprocæ utriuſque actionis conſervator. Sic tot in unum conſpirantibus auxiliis, maximæ Philiatro ſolventur difficultates, functiones enodabuntur, innoteſcent actiones, & totius œconomiæ animalis eluceſcet Mechaniſmus.

Quantumvis in primâ hâc inquiſitione deſudaverit Philiater, AUDITORES, quo indefeſſo non eſt ſtudio & labore, privati cujuſlibet morbi comparanda cognitio, cauſarum multiplicitas recognoſcenda, detegenda ſignorum ſubdola diverſitas, prædicendorumque veritas aſtruenda? Hic alimentorum dotes & electionem exploratas habeat impiger, illic ſervandum in exercitationibus, vigiliâ, quiete & ſomno, ediſcat modum, ubique ab ipſiſmet ſanitatis & vitæ fontibus arma miniſtrari ſentiat, quibus potentiùs quaſſatum ſubvertitur corpus. Quæ vita immenſæ remediorum varietati penitiùs introſpiciendæ fingetur longior? Nonnè quod per Aëra volitat, peragrat campos, natat in aquis, vegetat humo, in imis deliteſcit & fovetur terræ viſceribus, omnia in ſalutem hominis creavit Omnipotens? Indeſinenter

ergò naturam interroget divinitatis Minister, iter sequatur monstrantem: Ipsi mixtorum texturam recludat disceptatrix analysis. Agendi remediorum normam erudita suadeat ratio, usumque testetur recondita in libris temporum experientia. Jamjam aperiat libros; tempus adest aderitque semper, quo Philiatro nunquàm erudiendo satis, scientia morborum, remediorumque virtus è fontibus ipsismet haurienda.

Sed quemadmodum Apes avidæ mellis per amœna volitant ruris odoriferi vireta, candida circùm lilia funduntur, fragrantem carpunt Thimum, pinguem pascuntur Tiliam, exsuccas aversantur herbas, steriles deserunt agros, fucosque pecus ignavum arcent à præsepibus; sic prudentior Philiater, in tantâ librorum segete, non omni fidat scripto, cautus sit in delectu. Ab innumeris caveat authoribus, qui fervido vividæ abrepti imaginationis æstu, observando nundùm habiles, præcipites in judicando, in præscribendis majoris momenti remediis audaces, dubitant nunquàm, alta sapiunt, secretiora, quæ retegere non valent, naturæ mysteria ad arbitrium explicant, errantesque delirantis ingenii fœtus, figmentum pro veritate eò periculosiùs emittunt in lucem,

quod ſummâ quâ non raro valent, loquendi profluentiâ, elegantiâ ſtili, ſuadendi arte, lectores trahere in errorem, & quâdam veluti labe contagii conſueverint afflare.

Hos pejores angue fugiat procul ſcriptores, qui ſolius novitatis amore ducti, & neſcientes habere modum, quidquid antiquitùs ſcriptum dedignantur, iter affectant inauditum, naturamque poſitis à ſemetipſis legibus obtemperare tandem gloriantur. Medicinam contrahunt, fateor; ingenioſo ſiſtemate totius corporis Mechaniſmum evolvunt; robur ſolidorum, fluidorum vires, ad punctum computant; morbos quoſlibet ab unico (quem fingunt) fonte oriri & manare aſſerunt audacter, verbiſque congruentibus factis, nova & eadem ſemper quolibet in caſu, ſapientiori certè incognita antiquitati præſcribunt remedia. Hos peſtem publicam ſaluti populorum eo infenſiorem credat, quod artem Medicam cuilibet vel rudi, obviam & facilem repræſentent, ignorantiæ & temeritati anſam præbeant, immedicabile malum, Tironeſque ſolâ horumce librorum lectione ſe Medicos eſſe arbitrati, inviſere ægros non dubitent, per mortes innumeras, naturam non ludi impunè vix edocendi.

Sit Philiatro edifcendæ Medicinæ dux, Judex & Arbiter divinus fenex. Quis genus morborum & caufas, figna & eventus, occafionem ubique fugitivam, tam præcipitem in acutis, certioremque medendi methodum, cognovit peritiùs, fapientiùs retulit unquam. Parentis Medicinæ mentem interpretetur Galenus, Philiatrumque femper comitetur verfatus in fingulis, concifus, & elegans Romanus Hippocrates Celfus. Sed quid vos, AUDITORES, tœdiofæ enumerationis importunâ fatietate defatigari vellem? Quidve, Philiatri, extraneas, ut ita loquar, ampliùs vos mutuari fuaderem opes? Manent jam à longo, æternùmque manebunt, aurea Scholæ Parifienfis fcripta Medicorum, qui pretiofioribus antiquorum inventis, quidquid detexit ætas recentior, in Phyficâ lucidius, fubtilius in Anatomiâ, in Botanice felectius, expeditius in Chirurgiâ, in Pharmaciâ tutius, in praxi tandèm rationi & experientiæ confentaneum magis, additum ita confociaverunt, nova veteribus amico & falutari conjungentes vinculo, ut certiffimâ nunc exurgente Medicinâ, his ducibus errare non paveat Philiater, eorumque fcripta diurnâ nocturnâque verfans manu, fe tandèm Medicum profiteri poffit.

Tale eſt Medicinæ ſtudium, AUDITORES. Tabulam nec vividioribus, nec mentitis adornavi coloribus; dixi vera: quâ ſolâ datur adire Medicinam, horrentem ſpinis monſtravi viam; ſic tota eſt Medica tellus ſe profiteri Medicum volenti, firmo priùs calcanda pede. Qui expoſitis modo cognitionibus orbatus, ægros adire non horret, ſordidis annumeretur circulatoribus, violatum non funeſtet Medici nomen; utque lege ſapientiſſimâ cautum eſt, ne quis merces inducat peregrinas, quibus aliqua peſtilentiæ ſuſpicio inhereat; quidni & lege caveatur pariter, ne in ſocietatem admittantur Medicaſtri & circulatores, qui contagioſâ labe urbes infeſtant & domos, peſte ipſiſſimâ ipſi peſtilentiores?

Abſit ut tale quid à vobis pertimeſcendum ſuſpicari velim, PHILIATRI CARISSIMI. Sola vos, confido, movebit publica ſalus. Paratos, dociles que monitis, aſſuetos à primâ juventute, non vincet labor, non terrebunt difficultates; monſtratam viriliter & alacres ſequemini viam, eluceſcetque tandèm illa dies, quâ vobis jure Medicis, tuto credetur hominum vita. Dulcis jam ſanè vobis eſt & gratiſſima hujuſce temporis imago. Conſperſum roſis Medici fingitis iter. Honores, hominum fidem, laudes, ſupre-

mumque in vivendi normam arbitrium, debitam ſudorum, ſtudii, laboris & vigiliarum, mercedem creditis futura. O juvenes inexperti! Quis error veſter? Quàm graviter allucinamini? Sic noſcitis homines? Certus eſt labor, merces commentitia. Aperiatis oculos, auribus attendite. Nihil eorum celabo; quorum inſcitiâ vos quondàm fortaſſè ſuſcepti muneris pœniteret intempeſtivè, & quid ſcire debeant Philiatri, ut Medicos ſe profiteri poſſint, expoſito primùm, mixta Medici laboribus faſtidia, quod ſecundum, attingam pauciſſimis.

SECUNDA PARS.

QUEM ergà liberos finxit Natura Patrem, AUDITORES ORNATISSIMI, hunc in Philiatros ſe præbere Medicum Profeſſorem decet, adhortaturque publica ſalus. Quemadmodum ergò providus parens, inſtitutæ liberaliter, ſed inexpertæ proli, non tam ſuſcipiendæ dignitatis munus edocet & officium, quam ſuſtinendum per vitam monſtrat onus; ſcopulos nuntiat, pericula monet, ſic pro meo, PHILIATRI CARISSIMI, ergà vos amore, fore nunc piaculum crederem, ſi quod ducit ad Medicinam indigitato duntaxat itinere, quæ vos ab impru-

denti forſitàn deterrebunt propoſito, mixta laboribus Medici faſtidia adumbrare non tentarem.

Si accepti beneficii magnitudine, hiſce temporibus, ut olim, gratias metiretur humanum genus, & in firmâ valetudine præſtantiſſimum illud cogitarent verſari bonum, quo perdito ſemèl, figmentum felicitas, voluptas torquet gravis, ridens offendit fortuna, & perenne cumulat irritamentum ſupplicii opum inutile pondus, quodnam benevolentiæ monimentum & pignus, non exſpectaret vir ille Hippocratis probus, peritus medendi, qui ſanitati civium invigilat ſemper irrequietus, ſeque, ſua, & vitam conſecrat, devovet & effundit: tunc vobiſcum fateor, PHILIATRI CARISSIMI, dignus omni laude prædicaretur Medicus, ipſi crederetur ſoli, & ſupremâ in vivendi normam frueretur poteſtate; ſed quantùm ab antiquioribus ſæculis mutata ſit ætas noſtra, collata ſimul doceant vos hodiè, hinc inſpecta Medici vita, illinc monitorum, laboriſque Medici fructus, & mixta ubique conſtabunt laboribus faſtidia.

Quænam ſit ergo, quæritis, AUDITORES, Medici vita? Hunc oculis ſubjiciam virum, qui ſuæ ſemper immemor & prodigus vitæ, orto vix ſole, totâ ſilente ſæpiùs naturâ, opem flagitantibus miſeris præ-

ſens advenit ſolatium & levamen. Concutiat domos debacchatus Aquilo; ſe ſolvant in imbrem Nubes; brumale rigeat frigore glaciali Cœlum; torridus æſtuet Aër; horrorem incutiant naturæ crepitanti mixta grandini fulmina; periclitantur cives: devotus Patriæ, impavidus accurrit, advolat, & ſolâ ægrotantium commovetur, dum inſtat occaſio præceps, ſublevandâ ſorte. Conſcendit totâ die domos, quas dolor occupat, habitat timor: jacentis ægri conturbatur periculo, ad præterita obſtupeſcit, formidat præſentia, futura gemit. Mœrore contriſtatur amicorum, lacrimantibus condolet natis, iteratis fremit uxoris deſperatæ clamoribus. Sudore madens, regreſſus domum, impatienti exſpectantium turbâ obſidetur anhelans; non læté deguſtat cibos, non tranquillè, curſim edit: optatos ſollicitæ conjugis vix accipit amplexus; circumſtantibus certatim liberis ſubridere non vacat; quam unam aut alteram, familiæ, quieti, amicis horam concederet, quaſi furtum ſibi exprobrat publicum, & properans ſemper revertitur ad ægros. Cum labore fractus, membra veſpere ſomno breviori reficere tentat, ingeminatis experrectus ſubitò pulſatæ vividius januæ ictibus, aſſurgit clamanti: Veni, propera, luctatur cum mor-

te devictus jam civis: Te ſolum dicit liberatorem, obteſtatur, implorat: Factus es victima populorum; cuncta tuum eſt ſubire pericula. Nuſquàm ab opere ceſſat; quem vidiſtis hodiè, cras, & per vitæ curſum, quem citiùs forſitan epotum de pleno gurgite, morborum metet virus, deſudantem ſemper aſpicietis. Quis vivit mortalis miſerior? Hunc non feſtus recreat Dies; annua non novit communis lætitiæ ſolemnia. Totâ exultante naturâ, ſolus ipſe nihil niſi triſte videt, audit, cogitat, meditatur, & offendit. Et utinam, AUDITORES, hiſce limitibus laborioſa circumſcriberetur Medici vita! Lætus & ovans ſeſe publicæ devoveret ſaluti; ſed, quod æternum ſilere vellem, faſtidiumque cumulat, ab ingratis hominum mentibus fides avolavit & pudor. Quem ſola ſuſcitat virum probum charitas, amor proximi, egeni ut divitis accendit, ſervire lucro, turpiter avaritiæ famulari, ſuſurrare non horret calumniatrix, cui nihil ſacrum, plebs, nec ſola.

En laborioſa Medici vita, PHILIATRI CARISSIMI in laudibus, obſequio, & docilitate, exſpectatos tandiù jam quæramus laboris fructus. Ut nihil apud homines morbo frequentius, ſic de Medicinâ & Medicis aſſuetus ſermo. Superſtitioſæ muliercularum

genti, animiſque imbecillioribus illudendis inventum fuiſſe vanum & futilem artis Medicæ apparatum, quis non clamat? Ulline parcitur Medico peritiori? Qui quantùm in morbis prodeſſe poſſit Medico fides, non ignarus, ſeſe, vultum, & verba, captandæ ægrorum aſtantiumque benevolentiæ componit Medicus; dulcibus potentis eloquii illecebris ſolatur ægrum, meliora ſuadet, audit attentiùs aſtantes, officioſè dubia reſolvit, dictaque & juſſa, quantùm patitur jacentis tuta ſalus, votis ſingulorum accommodat; hic ignorantiam & temeritatem, ſuavitate verborum mellitâ obtegere incuſatur, loquacitate ſuâ, ut novum morbi genus, ab ægro ſanæ adhuc mentis pertimeſcendus. Si fronte paululùm auſteriori, ſimplici armatus peritiâ, non compoſitus, ita ad ægros accedat Medicus, ut divini Juris & humani acerrimus Vindex, imminens periculum, mortem ipſam, ægrum non celet, pretioſiſſimum tempus, inopibus rerum ſermonibus perdere recuſet, pauciſſimis reſpondeat, & interroget, inſulſaſque & futiles aſtantium ſileat ineptias; ille à ſocietate publicâ lubenter arceretur, durus, crudelis & ferox; deſperatio venit undè ſolatium quærebatur: Is mortem vaticinatur & infert à quo ſalus exſpectanda.

Nullus eſt tandem Medicus qui ſtupidâ vulgi non abutatur credulitate, callidus inſidiator, privatæ utilitati & commodis fallacem & excultum non apponat ſermonem, laudibuſque conſonat docilitas & obſequium.

Non minus in conſervandâ ſanitate doctus, quàm peritus in reſtituendâ, moneat quotidiè Medicus, hominem hominis adeſſe infenſiſſimum hoſtem; integro & feliciori donatum temperamento, inſultibus fatalis morbi, incautum forſitàn eſſe brevi laceſſendum; invitum in morbo, quid valeat firma valetudo, recognoſcere ſerius, perditam ſemel nonnunquàm fugere irrevocabilem; quâ arte ſeneſcet ſanus & fortis diſcendum à primâ juventute; viribus, ætati, loco, tempeſtatibus conſulendum; in temperantiâ, ſobrietate, continentiâ, exercitatione, aureâ mediocritate, tutiſſimum verſari ſanitatis punctum; in otio, torpore, libidine effrœnatâ, ingurgitatione ciborum, condimentis, igneiſque liquoribus exitium & peſtem latere; irridetur Medicus, inſanit, delirat, miſerè vivens, vivere miſerius docet, & quaſi monitis aſperius factum mortale genus, in vetitum nefas irruit impetuòſiùs. In Meridiem molliter recubat juvenis; otio & ſocordiæ per diem tradit

dit corpus; moventem se nunquàm aspicietis, nisi immoderatâ, turpi & illicitâ, quasi furens, rapiatur voluptate: ad satietatem prandet & cœnat, potat ad nauseam, nullum est condimentum acrius, non ardentior potus. Nec prudentiùs vivit vir ætatis maturæ, solis à juvene viribus discrepat. Inutile pondus senex saturatur & dormit.

An ergò ad arbitrium Medici regetur sanus, reponet forsitàn aliquis? Quid cum Medico benevalens? Suum in ægrotantes exerceat imperium Medicus? Medicos non advocant in concilium sani & benevalentes. Quid ad Medicum sanorum vivendi norma? AUDITOR SPECTATISSIME, teipsum testem appello. Dic, obtestor: cùm homines vegeti tibi, absit dicam vivendi ratione, sed sanguine vel amicitiâ carissimi, præcepta Medicorum illudentes, descriptumque modò sequuti iter, truculento quasi ictu fulminis perculsi morbo, è vivis, florente juventâ, citò rapti sunt inscii; Culpastine immedicabiles sæpiùs inconsultæ sanitatis errores, sub pondere ferculorum fatiscentes mensas, condimenta ciborum venenis non inferiora, læthales vini meracioris illecebras, satiatas libidines, edaces furtivæ veneris fructus, longiorem somnum, tabescentes vi-

gilias, desidis otia vitæ? Ignotam injustè incusasti causam morbi & fomitem, impotentiam remediorum, audaciorem medentis inscitiam; tuis ipsismet utar verbis: ægrotantes fuisse à Medico jugulatos, publicè, non privatim, affirmare non dubitasti. O tempora! O mores! indociles delirant populi, Medici plectuntur insontes.

Sed quid à sanis & benevalentibus docilitatem & obsequium sibi polliceretur Medicus? Apud ægros, quorum est exspectatio, spes, & votum, nònne saturatur fastidio? Quis in orbe tam ignarus ut nesciat, obstandum principiis, ab initio pendere finem: Quam norit artem, in hâc solâ se exercere teneri quemlibet: Ignotum cœcos non vocari monstraturos iter: Perito duntaxat habendam fidem: Illudere ægrotanti qui fallit Medicum: Insontem calumniari, animi vilioris esse crimen odiosum; judicem hunc tandèm esse reprobandum, qui de ignotis, ut surdus de sono, judicare non horrescit? Quis inconcussa hæc, vel imbecillior negaret principia? Violari ergò in solum Medicum, simplicissimas rationis & justitiæ leges, doceat vos, AUDITORES, acerba apud ægros, sors Medici & conditio. Non uno eodemque die lacessunt & terminantur graviores morbi, & si

qui ſint, ut læthales ſemper, ſic omnem reſpuunt Medicinam, fruſtrà quæritur Medicus. Periculoſè jamjam tentandus homo aggravatur primùm: Quid ſentiat neſcius, ſe ſanum non eſſe agnoſcit ſolummodò, fractuſque membra componitur lecto: Brevi furit morbus, crudelioribuſque ſtipatus ſimptomatis, & per temporis ſpatium perſeverans, utinam! miteſcat, & ad optatum ſenſim ſine ſenſu perveniat exitum.

Quid agatur interim, fideliter referam. In inſultu primo, quis futurus ſit morbus, exſpectandum pronuntiant æger, aſtantes, & familia. An cunctatione & morâ avolet occaſio præceps, morbus ex levi evadat gravis, læthalis ex graviori, ſolliciti parum nec docti, quas autumant perditas, igniferâ potione revocant vires, remque totam naturæ committunt otioſi ſpectatores. Ruere in pejus ægrotantem conſcii, hinc & inde, ad omne circulatorum genus, (& quis non eſt circulator?) fidentiſſimè confugiunt auxilium petituri, & à ſolo cavetur Medico, qui ipſo ſanè periculoſior morbo, extracto omni ſanguine, aqueis liquoribus, diætâque exitiali proſterneret ægrotantem; cumque perfas atque nefas, ignarorum quibus jocus eſt & ludus hominum vita,

natura ſuccubuerit remediis non dicam, venenis rectiùs, morſque oſtium pulſat, audacior ex turbâ, uxorem vel familiam monet amicè, gravem morbum, ſoli eſſe perito & ſapienti committendum Medico; recedit quiſque prudens, & tunc accerſitur Medicus, qui auſpiciis inceptum tam felicibus, ſuis recipit opus periculis, & proximæ ſolus culpabitur mortis.

Tempeſtivè jam vocatum fuiſſe ſuppono Medicum. Anteceſſam ſilebo vitam. Forſitan ſapienter vixit ſanus, qui æger ſoli confidit Medico: horret agirtas; optimo donatur corporis habitu; ægrotat periculosè; læthalem à ſe non contendam morbum. Nonne plerumque, inſcio Medente, in ægrotantis exitium, opprobriumque Medici, victa ab aſtantibus fallitur ars doctior, certior obſervatio, experientia longior? Præſcriptis à Medico nonne reluctantur omnes & obſiſtunt familia, amici, ipſa cuſtos? Abſente Medico, facienda protinùs morantur imbecillorum argumenta, loquacitas malè timida mulierum: dubitatur, procraſtinant, fugit temporis momentum, creſcit inflammatio, prætermittitur juſſuum pars non inferior, miniſtratam fuiſſe impudenter affirmatur, conceduntur vetita, obſtupeſcens Medicus, naturam

non recognoſcit, perit æger, & ad cædem clamant ipſi homicidæ, Filius, Pater, Uxor, Maritus, cæcique in Medicinâ populus & magnates.

Quid ſit Medicina, vos jam non latet, PHILIATRI CARISSIMI; comparandas monſtravi cognitiones, faſtidia non celavi. Inſudandum eſt per vitam, miſere vivendum. Dignus omni laude calumniis laceratur Medicus: viliori creditur agirtæ; Medico nulla fides: ubique expletur faſtidio Medicus. Probate nunc vos metipſos; fortaſſè quondam ſuſcepti muneris pœniteret intempeſtivè. Si propoſiti tenaces, non terreat labor, ſalus publica faſtidiis præponderet; dulciſſimus, fatebor quod res eſt, vos exſpectat voluptatis ſenſus, ſolatium manet inenarrabile. Ille maximum relligionis adimplevit punctum, ſummumque honoris & gloriæ aſſequutus eſt apicem, qui condonans inimicis, invitis ipſiſmet opitulatur & ſuccurrit ingratis. DIXI.

Approbatio Facultatis Medicinæ Parisiensis.

NOs infrà scripti, Orationem die vigesimâ-nonâ Novembris præsentis anni, in Scholis Medicorum, à Collegâ Clarissimo Magistro FRANCISCO MERY, publicè habitam, Facultatis jussu, legimus eâ quâ potuimus diligentiâ. Illam ab Audientibus jucundissimè exceptam, non minore voluptate à Lecturis excipiendam esse speramus. DATUM Parisiis die Decembris decimâ-quintâ, anno verò 1744.

MILLET, BOUVART, D. M. T. BARON, Filius.

VIsâ Approbatione Clarissimorum Virorum, qui examinandæ Orationi, à Clarissimo Collegâ nostro M. FRANCISCO MERY, die vigesimâ-nonâ Novembris præsentis anni in Scholis Medicorum habitæ, præpositi fuere decreto lato die nonâ Decembris, Facultatis Saluberrimæ Parisiensis nomine, per me licet Typis mandetur, die decimâ-quintâ Decembris, anno 1744.

G. J. DE L'EPINE,
Fac. Med. Par. Decanus.